

v.1 Dicitur esse nepos de nepa luxuriosus,
2 ast natum nati dic post natum esse nepotem.
3 Durities carnis callus, callis est via stricta.
4 Est montis collis, caulem dic esse virentem,
5 caula gregem claudit, capitis sub pondere collum est ;
6 esse colum dices qua femina fila reducit.
7 Philosophi radius, radios dic esse rotarum ;
8 textoris radius, radii de sole nitescunt.
9 Liber -bri codex, et durus in arbore cortex ;
10 liber -eri Bacchus, nulloque ligamine natus.
11 Factus de servo liber libertus habetur ;
12 libertinus erit liberto a patre creatus ;
13 hic etiam libertus erit.
14 Obsto cum consto doctrina supinat in -atum ;
15 cetera dant in -itum, praesto formabit utrumque.
16 Haec geminant : tundo, cado, pendo, cum pedo, caedo,
17 et tendo.
18 Moribus et verbis lepor est, lepus est quoque silvis.
19 Annis conjugio, sexu virtute vir esto.
20 Conjugis affines, patris ag-, matrisque cog -nati.
21 Est patris haec amita, soror est matertera matris.
22 Est patris patruus, sed avunculus est genitricis.
23 Quos soror et fratres generant dices amitinos ;
24 a patruis vero patruales scito creatos ;
25 ast consobrinos geminae genuere sorores.
26 Ille sororius est cuicumque soror mea nubit.
27 Ipse viri frater levir est, mulier quoque fratris
28 fratris, glos fratris uxor, glos soror atque mariti.
29 Hic cancer -cri crescit aquis, caelesteque signum
30 Cancer, et hic cancri morbum potes ipse vocare.
31 Pro telis arcus, fornixque vocabitur arcus ;
32 circulus est arcus, Irisque suum tenet arcum.
33 Ductor asellorum sit agaso, suumque subulcus,
34 mulio dux mulis, ovium opilio tibi pastor ;
35 aepolus est capris, dictus bobusque bubulcus.
36 Est cito curriculo, sit curriculum tibi tempus,
37 est spatium -lus vel -lum parvum, at dicito currum,
38 ac etiam cursum.
39 Hospes qui recipit, hospesque receptus habetur.
40 Est quoque qui nutrit et qui nutritur alumnus.

41 Qui vehit et vehitur vector solet esse vocatus.
 42 Sex casus dices, fortunaque casus habetur,
 43 eventusque malus, casum dic esse cadenti.
 44 Obliquis spectans oculis tibi strabo vocatur ;
 45 Orbe carent orbi, natis et patribus orbi.
 46 Lucis egens caecus, frustra gestabit ocellos,
 47 unum luscus habet, hebeti vel lumine cernit.
 48 Lar domus est tibi, sed deus ipse domesticus est Lar,
 49 Lar focus atque ignis necnon penetralia sacra.
 50 Stips stipis haec nummus, stipes -pitis arbore truncus.
 51 Hic ant haec stirps radix, haec stirps clara propago.
 52 Prunus habet prunum, prunam sed flamma perurit.
 53 Pars anni brevior bruma, tegit arva pruina.
 54 Cardinis in porta, cardo cardonis in agro
 55 fundus ager, sed funda jacet pars infima fundum.
 56 Talus, taxillus ludus, pars in pede talus.
 57 Palma manus, arbor palma, victoria palma.
 58 Pecten agit telas, lanam, simul atque capillos ;
 59 pubes inferior, piscis, atque ordo choreae ;
 60 est pecten citharae.
 61 Hesperus in sero dicatur, mane vocetur
 62 Lucifer, ac Venus est semper noctesque diesque.
 63 Esse toros dices palearia corpore pulpas ;
 64 et sedes torus est, pro lecto saepe vocatur.
 65 Aspires horam partem appellando diei ;
 66 si non aspires limbum dabit et regionem.
 67 Prora prior pars est, puppis ultima, ima carina.
 68 Dic latus esse ratem et ligna natantia juncta.
 69 Naves collectas plures tu dicito classem.
 70 Dic vulnus plagam, regio plaga, vel plaga rete :
 71 produces primum, debes breviare secundum.
 72 Aures dic hominum, dic auriculas reliquorum ;
 73 ungula de brutis, de cunctis dicitur unguis.
 74 Auxilium designat opis, ops terra vocatur ;
 75 divitias opibus simul auxiliumque notato.
 76 Lens, lendis capiti ; lens, lentis convenit ori ;
 77 lentigo in facie nota sit rubicunda vocata.
 78 Vita fovet corpus, constringit vitta capillos ;
 79 vivo facit primum, derivat vincio vittam.
 80 Est acies oculi, sic acumen tibi cultri ;
 81 et bello structas acies potes ipse vocare.
 82 Ultio vindicta sit, et praetoria virga.
 83 Fex est filorum, ceps ferri, pexque pilorum.
 84 Faex est de reliquis, olei dicetur amurca.
 85 Continue semper sit, continuo tibi statim.
 86 Imbribus est torrens, lignum est et torris adustum.
 87 Corporis est membrum manus, est et turma, potestas.
 88 Glis animal, glis terra tenax, glis lappa vocatur.
 89 Prima tenet gliris, -tis altera, tertia glissis.
 90 Sors notat eventum, signat quoque sors capitale ;
 91 sors est fortuna, sortes responsa deorum.
 92 Grana molo molis, in sacris mola multa farina ;
 93 magnitudo est moles, tibi sit moles quoque pondus.
 94 Falx metit, ast ardet fax, sed faux utraque mandit ;
 95 fas Neutri generis significat licitum (esse).
 96 Dic Thetis et Thetididis sic mater habetur Achillis ;

97 Oceani conjunx Tethys sic Tethyos addis.
 98 Ales hirundo canit, nat hirudo, movetur harundo.
 99 Tigris -gris fluvius, tigris sed belua -gris -dis.
 100 Populus haec arbor, populus hic unio gentis.
 101 Alter partitur, alium notat atque secundum.
 102 Lacteo lac sugo, lacto lac praebeo nato.
 103 Cupressi fructus, conus est in casside crista ;
 104 cassis -idis galea, stant captae in casse ferinae.
 105 Clavis claustra aperit, infligit vulnera clava ;
 106 clavus constringit tabulas navemque gubernat.
 107 Penna volat, poena punit, pina est tibi rete ;
 108 pinnam et pinnaculum muri dic esse cacumen.
 109 Religio tibi sit metus et veneratio divum.
 110 Sunt fastidia taedia, sunt fastigia celsa.
 111 Est hominis tergum, sed habebit belua tergus ;
 112 primum dat tergi, sed tergoris esto secundi ;
 113 interdum vacuas dicemus tergora pelles.
 114 Sinciput anterior capitis pars dicitur esse ;
 115 occiput ast partem capitis dic posteriorem.
 116 Dico ministerium famuli, mysteria sacra.
 117 Exemplar liber est, exemplum trahis ab illo.
 118 Quinque annos lustrum dic, atque cubile ferarum,
 119 circuitusque simul, purgatio sit quoque lustrum ;
 120 clarificat, purgat, circumspicit, omnia lustrat.
 121 Igni jus coquitur, jus rectum, jusque potestas ;
 122 est neutri generis, juris habet in genitivo.
 123 Urunt cor curae, sed curam dicis amorem.
 124 Illatum vulnus, innatum dicitur ulcus.
 125 Pars capitis tempus, spatium dic esse dierum,
 126 commoditas, aer dicitur, et emptio rerum.
 127 Haec sutoris acus sit, quartae femineumque ;
 128 hoc acus ac aceris ternae et purgatio grani.
 129 Lima terit ferrum, sed limus sit tibi caenum ;
 130 obliquis limus, sed continet ostia limen ;
 131 Terminus est limes, dicetur semita limes.
 132 Judicium dices examen perspicientis ;
 133 est examen apum collectio, lingua bilancis.
 134 Occido exanimo, judex examinat aequus.
 135 Aures dic patulas, oculos appello patentes.
 136 Sunt hastae teretes, et poma rotunda vocamus.
 137 Assiduus dives, simul atque attentus habetur ;
 138 primo as atque dat, assideo caput esto secundo.
 139 Prospicit a longe specula, hoc speculum tibi lucet.
 140 Justitia est virtus, jus justitium tacet urbis.
 141 Bis duo sunt : odi, novi, coepi, meminique,
 142 quae retinent sensum praesentis praeteritique.
 143 Stans aqua sit stagnum, sed stannum dico metallum.
 144 -N-, -g- describis primum, -n- duplicique secundum.
 145 Esse tamen stagnum vere tu dicis utrumque.
 146 Quae flagrant ardent, quod fragrat mittit odorem.
 147 Turbam scito chorum, sed ventat in aere Corus.
 148 Moriger est ille quem dicimus obsequiosum ;
 149 quique bonos mores agit is moratus habetur
 150 est homo difficilis, querolus morosus habendus.
 151 Immemor oblitus tibi, foedus et oblitus esto ;
 152 obliviscor habet primum, ast obliquo secundum

153 [hunc decorant homines quem vestimenta decorant.]
 154 Est brevis argutus, est callidus atque sonorus.
 155 Pigrum flexibilem otiosum lentus tibi monstrat,
 156 et si componas plenum signare videbis.
 157 Fert tria discrimen : distantia, glabra, periculum.
 158 Invidus ipse dolet, gaudet invidiosus habendo.
 159 Collegam facit officium, comitem via jungit ;
 160 ipse labor socium tenet, et dabit esca sodalem ;
 161 ast amor aequalem pariter tempusque notabunt.
 162 Sunt et in -os et in -or quaedam facientia rectos :
 163 est labor atque lepos, odor, ac honor, additur arbos.
 164 Ista suis et in -er et in -is sunt nomina rectis :
 165 vomer cum pulver, sic ciner atque cucumer.
 166 Qui necat occidit, moriens ast occidit ipse ;
 167 primum caedo facit, cado vult formare secundum.
 168 Exspecto opperit, operit secreta tegendo ;
 169 primum -p- duplicat, simplex describe secundo.
 170 Stemma est nobilitas, stigma est punctura vocanda.
 171 Schema habitum dices, atque in sermone figuram.
 172 Fert gerit ostentat patitur dat dicit habetque ;
 173 fert cupit et turbat ducit confringit in armis.
 174 Est ager hoc arvum, granum ervum, sulcus et urvum.
 175 Cogitat ipse putans, reperit qui excogitat ullum.
 176 Admittit cum -d- , recipit sine -d- quoque perdit ;
 177 peccat et admittit.
 178 Orat qui rogat, exorat qui vendicat ullum.
 179 Dic, duc, fac, et fer cognosces apocopata,
 180 <quae> pro diceque, duceque, pro face, pro quoque fere.
 181 Aestus sit solis fervor motusque marinus.
 182 Condit qui celat, facit, et dis consecrat ipsis.
 183 Lignum serra secat, sera continet ostia clausa ;
 184 -r- geminans primo, simplex describe secundo.
 185 Constat compositum est, manifestum dicito saepe,
 186 constat et erigitur, et constat stare putatur,
 187 constat et est emptum.
 188 Quod differre facit praenomen dicimus esse ;
 189 ast nomen proprium positum sibi vendicat omnis ;
 190 cognomen vero genus et cognatio ponit ;
 191 quod dabit eventus agnomen jure vocabis ;
 192 ut Gnaeus, Paulus, et Scipio, Creticus exstat.
 193 Cogit qui constringit, cogit qui ubera mulget,
 194 et cogit subigit sic colligit et simul urget.
 195 Pometum pomas, pomaria poma reservant.
 196 Moenia postquam locos positos pomeria dices.
 197 Malus mala creat, sed gestat carbasa malus ;
 198 feminei primum, verum maris esto secundum.
 199 Semen ager recipit, sed terra extollitur agger ;
 200 Abbrevies primo, -g- duplex dono secundo.
 201 Mentitur fallens, mendacia dicit oberrans.
 202 Hic vehementer amat, <sed> diligit iste minute.
 203 Dic Gallos gentem, gallinas gallus habebit.
 204 Atque sacerdotem Cybelis tu dicito Gallum.
 205 Carmina qui scribit canit, et qui fata prophetat ;
 206 quique canit cantat, laudans canit acta virorum.
 207 Arceo cum moveo, cum cogo arcere vocabo.
 208 Prothesis apponit caput, aphaeresisque recidit,

209 syncope de medio tollitque, epenthesis auget,
 210 aufert apocope finem, quem dat paragoge.
 211 Legat qui mittit, ligat qui vincula nectit :
 212 l- primum longat, l- curtum pone secundo.
 213 Ille tibi similis quisquis facie aequiparatur ;
 214 ille tui similis qui moribus aequiparatur.
 215 Qui fugat expellit, fugit is discrimina vitat.
 216 Pulso sonans, pulso feriens, propulso repellens.
 217 Truncus erit solus, vitis sit vinea plures ;
 218 ast instrumentum dicetur vinea belli.
 219 Signat ago recito, facio, refero, quoque duco.
 220 Qui plangit plorat, plangit qui percutit ora.
 221 Dicitur alga maris, sed dicitur ulva paludis.
 222 Dic animam vitam, ventum est, atque halitus oris.
 223 Est animus atque ira simul.
 224 Qui servat parcat, veniam dans is quoque parcat.
 225 Est via quam vadis ratio, via dicis et usum.
 226 Verro traho, verro verro, verro quoque mundo.
 227 Halat qui spirat, alit hic qui praebeat escam :
 228 primum longato, debes breviare secundum.
 229 Frons frontis capitis, frons frondis arboris esse ;
 230 est aqua fons maris, atqui cetera femina dices.
 231 Majorem incuso, parvos accuso paresque.
 232 Intendit cessat servit vacat et super instat,
 233 et licet atque caret (.....) vacuare potest(..).
 234 Dices discrimen, atque experimenta periculum ;
 235 primum dat pereio, pereio vel pyra secundum.
 236 Eminus ad longe, sed comminus ad prope spectat :
 237 eminus est primo, sed comminus esto secundo.
 238 Dic austrum esse notum, nothus est ex paelice natus :
 239 -h- fugit primum, tamen aspirato secundum.
 240 Nobilis antiquus, vetus est et carus habetur.
 241 Saltem sit minus, si saltas dicito saltim.
 242 Caecus et alatus nudus puer et pharetratus :
 243 istis quinque modis dominus monstratur amoris.
 244 Amovet elongat, conjungit qui admovet ullum :
 245 -d- careat primum, sed -de- describe secundum.
 246 Ala volat turma est equitum, volucrisque sit ales :
 247 feminei generis primum, commune secundum.
 248 Styx, Acheron, Lethe, Cocytus cum Phlegethonte :
 249 odit, tristatur, dediscit, luget, et ardet.
 250 Pars populi classis, rarium collectio turma.
 251 Ambitus clausus est, ambitus optat honores :
 252 mobile sit primum, sed fixum dico secundum.
 253 Qui sacra fert libat, litat qui numina placat.
 254 Fertilis et laetus, pinguis sic dicito plenum,
 255 atque alacer.
 256 Est laetus gaudens, sed mortem dicito letum :
 257 diphthongum primo, sed -e- simplex scribe secundo.
 258 Qui locat hic ponit, locat et quicumque maritat,
 259 atque parat pretiis etiam facienda locamus.
 260 Annuit atque nuit si labro aut nare notat quid ;
 261 ast nutat capite tremulo, sed nictat ocello.
 262 Dic famulum puerum, puer aetatem tibi signat,
 263 atque marem puerum dicemus saepe notare.
 264 Dat causam propter, sed justa dicito saepe.

265 Est ardens scintilla, carensque calore favilla.
266 Consequor acquirō, simul exsequor exprimoque (idem).
267 Esse procul longe dices, procul est prope saepe.
268 Qui laxat largat, lassat qui membra fatigat :
269 -x- primum quaerit, -ss- duplex scribe secundo ;
270 Grata petit poscit, sed debita flagitat ardens.
271 Impetus, atque dies, nox dant -e- vel -u- tibi sexto.
272 Est pyra congeries lignorum, exustaque busta ;
273 ardentesque rogos subjecto dicimus igne.
274 Vas vadis spondet, vadum est fluvii brevis unda.
275 Vas vasis retinet.
276 Vindex dicetur ventura pericula pellens ;
277 praeteritumque malum qui punit dicitur ultor.
278 Haurit dic vacuat, sorbet, bibit, aspicit, audit,
279 atque ferit.
280 Vadit qui pergit, vadatur danda promittit.
281 Civibus est civitas, sed moenia dicimus urbem.
282 Dicis aquam laticem venis vel fonte latentem ;
283 estque latex vinum, lateat quia vase vel uva.
284 Fraus dolus est, etiam fraudem dic esse periculum.
285 Consultus petitur, petit hic consultor habendus ;
286 quod vero petitur consultum est jure vocandum.
287 Est factum facinus, facinus scelus esse memento.
288 Feta notat plenam dicta, estque puerpera feta.
289 Insidias furtum stuprum dic atque rapinam.
290 Est hara porcorum, venerabilis ara deorum :
291 prima brevis petit hac, longa est sine theo secunda.
292 [Saepius is finit pluralem tertia quartum ;
293 cum tenet is rectus similem formando secundum,
294 pluralesque vel er, en, es conjungitur er, es :
295 Navis, tris, imbris, pontis, sic dicito partis.
296 Rarius is reliqua plus, pluris ; lis quoque litis.]